

banensis Episcopus. Ego Bernereus Prenestinus Episcopus. Ego Joannes Præbiter Card. S. Johannis, & Pauli, & Pammachii. Ego Joannes Præbiter Card. tt. S. Anastasiæ. Ego Joannes Præbiter Card. tt. S. Marci. Ego Vivianus Præbiter Card. tt. S. Stephani in Lelio monte. Ego Cinthius Præbiter Card. tt. S. Cecilie. Ego Ugo Præbiter Card. tt. S. Clementis. Ego Arduinus Præbiter Cardin. tt. S. Crucis in Hierusalem. Ego Matthæus Præbiter Card. tt. S. Marcelli. Ego Jacobus Diaconus Card. S. Mariæ in Cosmidyn. Ego Ardicio S. Theodori Diac. Card. Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in porticu. Ego Reinerius Diac. Card. S. Georgii ad Velum aureum. Ego Gratianus Diac. Cardin. SS. Cosmæ, & Damiani. Ego Joannes Diac. Card. S. Angeli. Ego Rainerius Diac. Card. S. Adriani. Ego Matthæus Diac. Card. S. Mariæ novæ. Ego Bernardus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano. Dat. Laterani per manum Alberti S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Cancellarii III. nonas maji Indiæ XII. Incarn. Dominicæ anno MCLXXIX. pontificatus vero Domini Alexandri Papæ III. anno ejus XX.

(1) *Hilarii.* (2) *Ricaldone.* (3) *Hic abrasum verbum fuit, quod tam ex litera initiali S., quæ adhuc fugiente nota apparet, quam ex eorum temporum disciplina videtur fuisse subjecti.* (4) *Vel vexare.*

*Confirmatio possessionum, & jurium Ecclesiæ S. Mariæ de Foro ab Alexandro III. Ottoni archipresbitero concessa.*

60

MCLXXX.

Dilectis filiis Ottoni Archipresbitero, & Clericis S. Mariæ de Foro tam præsentibus, quam futuris canonice substitutis. Cum nobis sit quamquam immeritis omnium Ecclesiarum cura, & sollicitudo commissa, officii nostri debito cogimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & ut esse possint a malignantium impugnatione quietæ, eas nos convenit apostolico patrocínio communire. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Mariæ de Foro, in qua estis divinis officiis mancipati sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis operante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis Ecclesiam de Carentino S. M., & SS. Fabiani, & Sebastiani, Ecclesiam S. Petri de Lucu, Ecclesiam S. Mariæ de Mellenazo, Decimam de Ponzono, Decimam de Foro, & quartam partem Castrinovi de Ancisa cum omni ditione sua, vineas de Monte Baruccio, atque alias possessiones, quas ibidem habetis, quidquid habetis in Rocheta Marchionis de Incisa, quidquid habetis in Carentino, & Albareto, & Oviliis, atque Runco, quidquid habetis in Rumcaudono, in monte Cor-

dario, in Ponzono, & in Montefasco, quidquid habetis in Curia Ripaltæ, in Plovera, in Pezeto, quidquid habetis in Curia de Foro, in Castronovo desuper Burmia, quidquid habetis in territorio Capriatæ, in Dedues, & in Mazo; prohibemus insuper ne infra parochiam Ecclesiæ vestræ aliquis Ecclesiam, vel Oratorium sine vestro, & Diocesani Episcopi assensu ædificare præsumat, salvis privilegiis Romanorum Pontificum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam vestram perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere præsumat, minuere, sequi quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra, & illibata serventur eorum, pro quorum gubernatione, aut sustentatione concessa sunt usibus omnimode profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica justitia. Ad inditium autem hujus ab Apostolica Sede perceptæ protectionis, unum bisantium nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis. Siqua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit secundo, tertiove communita nisi reatum suum condigna satisfactione correxerit potestatis, honorisque dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, ac a Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Redentoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subiaceat. Cunctis autem ea suo loco servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Joannes SS. Ioannis, & Pauli Præbiter Card. tit. S. Damasi. Ego Vivianus Præbiter Card. tit. S. Stephani in monte Cælio. Ego Cinthius Præbiter Card. tit. S. Cecilie. Ego Nas. Præbiter Cardin. tit. S. Clementis. Ego Gratianus SS. Cosmæ, & Damiani Diac. Card. Ego Rainerius Diac. Card. tit. S. Adriani. Ego Laborans Præbiter Card. SS. M. trans Tyberim. Ego Ubaldus Hostiensis & Veletrensis Episcopus. Ego Theodinus Portuensis & S. Rufinæ sedis Episcopus. Ego Veneredus Prenestinus Episcopus. Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmidyn. Diac. Card. Ego Joannes Diac. Card. S. Angeli. Datum Tusculani per manus Alberti S. R. E. Præbiteri Card., & Cancellarii V. Id. julii Ind. XIII. Incarn. Domin. an. MCLXXX. Pontificatus vero D. Alexandri PP. III. an. XXI.

*Conventiones inter Alexandria Commune, & Marchiones de Bosco.*

63

MCLXXX.

61

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXX. indictione XIII. mensis novembris in civitate Alexandria, præsentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur. Talis concordia facta est inter Marchiones de Bosco, scilicet Dominum Anselmum, Dalsinum, & Ardizonem filios quondam Domini Vermi item Marchionis de Bosco, & homines Alexandria per consules ipsius civitatis,